

PRAEFATIO.

**P**ost tot ac tanta scripta Eristica, quæ occasione Meta-  
 physicae Leibnitio-Wolffianæ hucusque prodierunt,  
 & nunc cessare incipiunt, meas Observationes de iis-  
 dem uno fasciculo collectas, publici juris facio. Præ-  
 termisissis ferme consequentiis & comparationibus  
 ejusdem cum Systematibus hæreticorum atque profanorum ho-  
 minum, doctrinas ipsas earumque fundamenta, sine partium stu-  
 dio, solo veritatis amore ductus, maxime consideravi, atque  
 dispersam veritatem Eclectico more conquisi cumque ex labo-  
 re hoc (qui sane non exiguus erat, siquidem neque paucos neque  
 parvos libros primum, sensus indagandi causa, omnium cum attentione  
 evolvere atque revolvere, deinde inter se pari circumspeditione com-  
 parare oportuit, antequam sententiam liceret ferre) non contemnen-  
 dos fructus in veritatum gravissimarum cognitione, demonstratio-  
 ne, confirmatione perceperim, eosdem Philosophiæ cultoribus ea, quæ  
 in Orbe litterario locum merito obtinet, libertate & modestia  
 communico, eum unice in finem, ut Electicas ipsorum de argumen-  
 tis utilissimis & maxime necessariis meditationes facilitatem atque  
 promoveam. Parum ergo aut nihil meæ meditationes pertinent  
 ad IPSOS CELÉBERRIMOS CONTROVER-  
 TENTES, quos neque docere neque refutare cupio; nihil  
 meus dissensus derogat venerationi, quam meritis IPSORVM  
 in rem litterariam debeo; non sumo mihi arbitri partes; nemi-  
 ni meas sententias obtrudo; dissensiones & refutationes æquissi-  
 mo feram animo, ex iisdem proficiam, tique, si opus fuerit, oc-  
 casione data, de iisdem sententias meas exponam. Brevitati  
 autem variis ex causis studui, ut sæpissime unico verbulo argu-  
 mentum integrum aut fons solutionis argumento contrario oppo-  
 situs comprehendatur; jure igitur postulo, ut, qui observatio-  
 nes has cum fructu legere, atque solidae dijudicare, maxime au-  
 tem, qui refutare easdem cupit, præter attentionem ac patientiam,  
 ) 3 )  
 animum